



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Epitome Instituti Societatis Jesu

Sesti, Curtius

Bruxellis, 1690

Cap. VII. De Libris scribendis, edendisque.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68440](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68440)

** P. 4. c. 11.
§. 3. & B.

similia à Principe, vel à suprema Potestate, hujusmodi facultatis scriptum habere testimonium oportebit. **

C A P U T VII.

De Libris scribendis, edendisque.


Scriptores Professi possunt à Collegiis sustentari.

a P. 6. c. 2. C.

Libri antequam edantur examinandi.

b P. 3. c. 1. §. 18. & P. 4. c. 6. O. & P. 7. c. 4. §. 11. & Reg. Prov. 60. & C. 5. D. 9.

c R. Rev. 2.

1.  Efertur etiam ad juvandos proximos, mediis literis, Librorum scriptio, atque editio. In eorumque gratiam, indultum est, ut qui talento ad id sunt præditi, cum expressa facultate Præpositi Generalis, licet Professi sint, possint ad aliquod tempus in Collegia se recipere. *a*

2. Ceterum à nullo Libri scripti edi possunt in lucem sine approbatione, atque consensu ejusdem Præpositi: qui eorum examinationem saltem tribus committat, sanâ doctrinâ, & claro judicio in ea facultate præditi: ut non aliter in publicum prodeant; quàm si ad ædificationem fore videbuntur. *b* Sed in Libris, qui Theologiam speculativam, aut Controversias, aut doctrinam morum continent, quatuor Censores integrum librum examinent: leviora tractantes, à duobus tantummodo perlegantur. *c*

3. Ad

3. Ad exercendam hanc Librorum cen-
suram adsunt Præposito Generali quinque
Viri ex quinque Assistentiis selecti, præ-
stanti iudicio, & doctrina, ad quorum di-
rectionem jussu Con. 8. editæ sunt Regu-
læ, quas recognitas approbavit Con. 10.
D. 11. & Provinciis omnibus voluit com-
municari, iisque perinde, ac Romanos
teneri, qui extra Urbem ad censendos Li-
bros designabuntur. *d*

*Revisores ad hoc
instituti.*

d R. Rev. 15.

4. Summa verò harum Regularum hæc
est. 1. Sui muneris gravitatem Revisores
intelligant; cum in re maximi momenti
Generali operam navent. 2. Pro condi-
tione materiæ, plures pauciores-ve Li-
brum totum, & ipsas epistolas prælimina-
res perlegere tenentur. *f* 3. Duplex Judi-
cium instituendum: alterum, an Li-
ber sit edendus necne? alterum, si edendus,
an, & quomodo corrigendus? 4. In rebus
majoris momenti cautè procedendum, tum
in ferenda, tum in exponenda sententia. *h*
5. Absolutis cujusque Libri consultationi-
bus, tum ejus approbationem, tum cen-
suras P. N. Subscriptas ab omnibus exhi-
bebunt, si in eas major pars consenserit:
separatim verò quisque scribet ad P. Ge-
neralem id, in quo discrepaverit. 6. Cen-
suras Librorum ad e: maximè dirigent;

*Ab eis servan-
da.*

e R. 1.

f R. 2. & 15.

g R. 3.

h R. 4.

i R. 5.

B 4 que

l R. 6. 7.

m R. 8.

n R. 7. & 9.

o R. 10.

p R. 11.

q R. 12.

r R. 15.

*Pœna in vul-
gantes typis,
qua probata non
sunt.*

quæ in Ratione studiorum præcipiantur: nec ducantur exemplo non communipriorum Scriptorum, etiam è Societate. l 7. Quodcumque argumentum Libri ædificationi, & utilitati seruiat, non sit mea repetitio aliorum; & mediocritatem non mediocriter superet. m 8. Nulla sequi possit offensio, vel Principum, vel Doctorum Catholicorum; quos, si oportuerit, modestè refellent. n 9. Nullum Librum recognoscendum à quoquam accipient, præterquam à P. Generali; quem monebunt, si Liber perperam descriptus, & indistinctè fuerit. o 10. Secreti sint tenaces: nec iudicii sui propensionem aliis ostendent; aut patrocinium Libri suscipient. p 11. Bullas, & quæcumque Romana Decreta spectantia ad doctrinam, mores, & editionem Librorum probè calleant. q Censurarum, & Librorum recognitorum exempla conservanda sunt. Quæ in Provinciis extra ordinem Libros recognoscent, sint incogniti Auctoribus, censurasque suas Provinciali tradent Romam mittendas. Si quid Provincialis ipsecedere volet, id non faciet, nisi consulto prius Generali. r

5. Si quis verò, sine facultate, seu proprio, seu alieno, seu etiam suppresso nomine, Librum, Libellos, aut folia etiam

volantia, aut demum quidquid prelo, ad publicam lucem, committitur, typis ederet, gravibus, certisque poenis puniendus est: puta privatione officii, vocis item activæ, & passivæ, inhabilitate etiam ad Dignitates, & Prælaturas Societatis, poenis etiam corporalibus, pro delicti gravitate decernendis. Hęc etiam poenarum capita ad complices, & conscios, etiam Superiores, pro ratione culpæ, extendantur: & præsumptio fraudis contra illos stare censeatur, à quibus accepta scripta Externi vulgaverint.

5 C. 11. D. 18.
& R. Rev. 15.



PARS